

Causa igitur antecedens & primigenia peccati & mortis, constituenda est Lex eadem. Atqui regnum mortis cœpit esse ab Adamo per Apostolum ipsum hoc loco. Regnavit mors ab Adam usque ad Mosem. Cœperit ergo necesse est multo magis regnum legis ab Adamo ipso, per eundem Apostolum loco eodem. Regnavit lex data Iudæis in Mose, à Mose ipso. Regnavit lex data omnibus hominibus in Adamo, ab Adamo ipso. Regnavit inquam lex ab Adamo, usque ad Mosem: vel usque ad Iesum Christum. In quo scilicet, lex omnis Adamica & Mosaica, & tempus ipsum perit legis utriusque. Vtpote, à quo tempus Gratiæ cœperit esse.

Conveniens ergo est ut definiamus & circumscribamus tempus Legis, ab Adamo ad Christum. Quâ ratione definiamus & circumscribemus tempus Gratiæ, à Christo quando venit in carne, ad eundem Christum cum venerit in spiritu ad Gloriam: quæ erit in æternum.

CAPUT LV.

Peccatum fuisse imputatum ab Adamo usque ad Mosem.

SED neque illud assequi possam, quantumvis meditatione contendam: quâ ratione probari possit, peccatum non fuisse imputatum per totum illud tempus quod fluxit ab Adamo usque ad Mosem. Contrarium enim colligitur ex locis omnibus Geneleos.

Incipiam ab Adamo ipso. Quare ergo peccatum fuit imputatum Adamo ipsi? Quare imputatum omnibus hominibus, qui in illo peccaverunt? Quare fugatus Adamus, & in Adamo fusi omnes homines Paradiso? Quare maledicta terra propter peccatum Adami, nisi terra, & toti Mundo fuit imputatum? Quare timuit Cainus qui occiderat